

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Ira ab cum fonte primo

Per iram iusticia relinquitur,

quia dum perturbata mens
iudicium sine ratione exasperat, omne
quod furor suggerit rectum putat. Per
iram gracia uite socialis amittitur,

quia qui se ex humana ratione non
temperat, necesse est ut
bestialiter uiuat. Per iram mansuetudo
amittitur, per iram concordia rumpitur,

per iram lux ueritatis amittitur,

quia cum menti iracundia confusionis
tenebras incutit, huic Deus radium sue
cognitionis abscondit.

Gregorius ibidem (libro V. moralium).

Per iram iusticia relinquitur sicut
scriptum est: *Ira uiri iustitiam Dei non
operatur; quia dum perturbata mens
iudicium* suae *rationis exasperat, omne
quod furor suggerit rectum putat. Per
iram gracia uite socialis amittitur sicut
scriptum est: *Noli esse assiduus cum
homine iracundo, ne discas semitas eius
et sumas scandalum animae tuae.**

Quia qui se ex humana ratione non
temperat, necesse est ut
bestialiter solus uiuat.

Per iram concordia rumpitur, sicut
scriptum est: *Vir animosus parit rixas.
Et uir iracundus effodit peccata.*

Iracundus quippe peccata effodit quia
etiam malos quos incaute ad discordiam
prouocat, peiores facit.

Per iram lux ueritatis amittitur sicut
scriptum est: *Sol non occidat super
iracundiam uestram;*

quia cum menti iracundia confusionis
tenebras incutit, huic Deus radium suae
cognitionis abscondit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5, 45
(CCSL 143, M. Adriaen ed., p.276,
ll.21-35).